

❦ ❦ ❦

redit libertatem. Quod ex D. Pauli exemplo fidem meretur longè evidentiore, qui vehementer hoc corporis cupit dissolvi vinculo, & exclamando cum CHRISTO vivere desiderat. Quocirca non est, quod nostra ferat opinio, fœminam honoratissimam ESTHRAM, Clarissimi & spectatissimi Viri, Dn. JOHANNIS CERNITII, J. U. Licentiati conjugem, dum in vivis erat, dilectissimam, quæ die ab hinc quinto animulam suam à terreno mortaliq; solutam corpore, ejusdem Redemptori unico JESU CHRISTO, in immotâ meriti ipsius fiducia pijs religiosi cordis suspirijs gemitibusq; obtulit, esse mortuam atq; penitus extinctam, sed potius firmiter statuamus, ipsam vitam jam vivere eam, quæ sola vita nominâda est, quamq; sibi denata summo gratulatur gaudio. Etenim credentium mors, ut cum D. Athanasio verbo *Ἀπαρμολικῶ*, ac jucundissimo utamur, non est mors, sed *ὁδὸς τῆς ἀνάστασις*, id est, via resurrectionis. Huic cum exequiæ decentes faciendæ sint hodierno die, more usitato paucis hoc loco perstringi oportere visum est, quæ ad ipsius ortum vitæque curriculum pertinent, ut hoc modo & memoria piè defunctæ ornetur honestissima, quemadmodum pietate suâ ac virtute meruit, eademq; operâ significatio qualiscunq; Christianæ affectionis marito superstiti, viro clarissimo, totiq; familiæ lectissima declaretur. Nata fuit *ἡ μακαρίτης* (ut accepimus) Anno Christi supra Millesimum, quingentesimum septuagesimo septimo, die 15. Junij, ex parentibus apprimè pijs & honoratis. Patrem enim habuit virum antiquâ

virtute

